

NECROLOGIA

DUO SODALES PROVINCIAE HOLLANDICAE
VICTIMA NAZISMI

I. † R. P. Gerardus van den Heuvel (1900-1945)

Die 28 Dec. 1944 Rev. Pater Gerardus van den Heuvel, collegio Rurae-mundi adscriptus, maiore parte collegii investigata a militibus nonnullis cive quodam ductis, arreptus est.

Incolae Rectoratus incitati erant ut falsum dicerent testimonium. Omnes negaverunt praeter mulierem quandam, quae, affecta promissionibus vel minis deterrita, Patrem auxilio fuisse marito dicebat, ut aufugeret. Quod testimonium, antequam Pater abductus est, revocavit.

Usque ad diem 1 Ian. 1945 Ruraemundae in carcere commoratus, eo die itinere pedestri ob nives neonon frigora laboriosissimo in Germaniam ductus est, et postquam variis in carceribus inclusus est, tandem die 3 Febr. Coloniam Agrippinam pervenit.

Americanis urbem obsidentibus Pater peripneumonia, in quam frigoris causa inciderat, e vita secessit die 6 Martii ante meridiem. In sequenti die urbe capta, a capellano militum sepultus est.

Omnes qui cum eo in carcere erant inclusi, quam fortiter, quam egregie se gessisset declaraverunt. Mortuus est officii sacerdotalis martyr, ut sanctus omnia patiens.